



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Venerabilis Patris Thomæ à Jesu ... Opera Omnia

Homini Religioso Et Apostolico Tam Qvo Ad Vitæ Activæ, Qvam
Contemplativæ functiones utilissima, Duobus Tomis Comprehensa. In
Qvibvs Singlari Pietate, Varia Ervditione Clariori Et Breviori Stylo
Continentvr Et Explicantvr ...

Tomás <de Jesus>

Coloniæ Agrippinæ, 1684

Capvt XX. Praxis fidei circa virtutem humilitatis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38621

nistrat etiam consolationes: ac denique Deus ipse, quia absque ulla ambiguitate aut fallacia promissa sua infallibiliter explet.

Admiratio sane digna est ista horum nominum Dei cum sacre Scripturæ scopo correspondenti: si enim Scriptura, ponendo ob oculos consolationem eorum, qui in afflictione in Deum speraverunt, ad patientiam, & spem in Deum firmam animos fidelium sublimiter erigit, quid præterea amplius excogitari potest, quam quod Deus seipsum nominare dignetur, Deum patientiam, solatium, & spem?

Hinc videre est, innumera loca ad patientiam exhortantia, nec pauciora exempla patientiæ Sanctorum, qui in mediis tribulationibus à Deo liberati, consolatione amplissima, & mercede potiti sunt.

Quædam ponderemus ad exercitandam praxim fidei patientiam. Primò Christus D. dicit in patientia vestra possidebitis animas vestras Lucæ 21. significans patientiam sui ipsius dominium acquiri, nostrarumque passionum mortificationem. Hinc

Hebr. 11. S. Paulus inquit: Patientia vobis necessaria est, ut reportetis repromissionem. Et, per patientiam curramus ad propositum nobis certamen, afficientes in asportem fidei. & consummatorem IESU M., qui propositum sibi gaudium sustinuit crucem confusione contempta.

Particulariter autem in afflictionibus, quas absque culpa nostra patimur, virtute fidei nos animare debemus, verbis fidei per Apostolum Petrum

1. Pet. 4. prima Epistola cap. 4. prolatis: Nemo autem vestrum patitur ut homicida, aut fur, aut maleficus: si autem ut Christianus, non erubescat; glorificet autem Deum in isto nomine: quia enim, ut inquit

idem Apostolus, est gloria si peccantes, & colaphizati sufferitis: quia & Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia ejus, qui peccatum non fecit.

Quæ calore fidei vivæ concocta plurimum in virtute patientiæ enutriunt Fidelem, quandoquidem veritate divina cognoscatur institutum & vocationem perfecti Christiani in hoc præcipue consistere, ut sine culpa ad imitationem Christi Domini, ad verba quæque pariat.

Ad hilariter amplectendum eas, quæ nobis à

Psal. 33. Domino immituntur, tribulationes, vide quanti

Psal. 90. eas faciat ipsa veritas, & invenies. Iuxta est Dominus

1. Cor. 1. sum in tribulatione, eripiam eum & glorificabo eum

2. Cor. 4. Psal. 90. & alibi, Beatus vir qui suffert tentationem;

Item: scientes quod sicut focum passionum estis, sic & eritis consolationis. Et apud eundem Apostolum, id enim quod in presenti est momentaneum, & leve tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate, æternam gloriam pondus operatur in nobis.

Ista fidei luce, aliisque tribulationum fructibus,

Psal. 33. quæ Scriptura sacra docet, multum roboratur, &

Rom. 5. stabilitur patientia nostra: si enim legimus: multa tribulationes iustorum, & de omnibus his liberabit eos Dominus, & ad Rom. 15. gloriamur in tribulationibus, scientes, quod tribulatio patientiam operatur, patientia probationem, probatio verò spem, spes autem non confundit: & quoniam probasti nos Deus, igne nos examinasti sicut argentum, transivimus per ignem & aquam, & induisti nos in refrigerium.

Hi, alique innumera loca sunt fructus tribulationum, quæ à Domino tum peccatoribus immituntur: illis quidem, ut in via Justitiæ divinæ perficiantur; his verò, ut necessitate compulsi ad Deum se convertant.

Thom. à Iesu Oper. Tom. II.

Praxis fidei circa virtutem humilitatis.

Debas fidei veritatibus, altissimum humilitatis fundamentum jacere debemus.

Prima veritas.

§. 1.

Sine me, inquit Christus D. nihil potestis facere. Ioan. 15. & Apost. quis enim te discernit? quid autem habes quod non accepisti? si autem accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis? quasi diceret, quis in te posuit gratiam istam, aut donum, quod non posuit in fratre tuo, quo ab eo discernis, magisque excellens, & honorabilis videris? quid habes quod alius non habet, nisi quod DEUS dederit tibi fortasse istud ingenii acumen, istud robur, gratiasque naturales, aut supernaturales, aliis non æqualiter concessas: sed unde, aut à quo, an te ipso ea accepisti? nequaquam, nihil enim habes quod non accepisti, quis ergo te ab alio discernit? si à Deo accepisti, quid vanè gloriaris, quasi non acceperis? ubi sanè notandum est, non eos hic ab Apostolo reprehendi, qui bona à DEO accepta sibi attribuant, istud enim superbiæ genus in intellectu, fidei lumine vel tenuiter illustratum, imò & in ipsum diabolum cadere nequaquam potest; condemnat autem Apostolus eos, qui divinæ bonitatis dona ad vanam gloriam, & estimationem propriam transferant, quasi propria forent, illique cæca benignitatis, & misericordiae Dei oblivione, sine gratitudine, & humilitate, bonorum omnium authori & fonti debita abutuntur.

Idcirco ergo, ut huic tam grandi malo lux fidei obviet, docet nos omnia dona, gratiasque continuo intuitu, quasi à DEI manu descendentes agnoscere, nostramque facere vilitatem, qui nihil sumus, nihil habemus, nihil possumus, ut magna certitudine, & veritate cordi nostro impressum geramus: omne datum optimum, & omne donum perfectum descendere à Patre luminum. Confirmat humilem nostri ipsorum cognitionem alia etiam fidei cognitio; qua docemur, quam cæci remanserimus post peccatum, quam ad omne malum proni, & ad omne bonum reprobi, repidi & impotentes: quo discamus non nobis ipsis fidere, aut à nobis ipsis aliquid boni sperare.

Secunda fidei veritas ad humilitatem excitans.

§. 2.

Altera fidei doctrina, qua humilitatem consolidare, & fundare debemus, est peccatum mortale offensam esse contra divinam maiestatem gravissimam, & æternorum suppliciorum castigatione dignissimam; quam si benè perpendat peccator, procul dubio iudicabit se omni pœnâ, afflictione, despectu, & confusione dignissimum; nec cessabit ea desiderare, si non obveniant; & si obvenerint, minima cordis lætitia in illis gaudere, quæ humilitatis summa perfectio est; sic ergo humilitas, ex duobus his leaturit fontibus.

Primò practica cognitione necessitatis & dependentiæ nostræ à DEO, quodque ab ipso omne nostrum bonum roburque descendat ad eum modum, quo infans, si intelligere posset, suam imbecillitatem clarè cognosceret, dum se paternis

ternis brachiis videt sustentari, nec aliter valere subsistere.

Secunda cognitione, & vera miseriarum nostrarum expensionem; ex quo fonte etiam humilitas ortum habet: principatius tamen ex priore, quo totum bonum DEO referimus acceptum, & omne malum nobis proprium, libenter prostermar, vnum enim ex alio consequens est.

Proderit etiam humilitatis affectuioni, considerare, quantum Scriptura sacra extollat humiles, quantumque superbos DEUS abominetur; sed præcipue aspiciere vivæ fidei oculos JESUM Christum cruci inter duos latrones affixum, & cum iniquis reputatum, proclamatum malefactorem, probrosumque irrisum & proculcatum, tanquam vilissimum terræ vermiculum. Ad eum ut diligenter meditant, facile sit videre, nullam virtutem majoribus fulgoribus in tota Christi Domini vita, & præsertim in circumfusione, ac passione irradiare, quam humilitatem, unde & suo exemplo nos ad eam invitans ait, *discite à me, quia mitis sum, & humilis corde.*

Matt. 11.

C A P V T XXI.

Pro cæteris virtutibus generale documentum.

His duarum præcipuarum virtutum exemplis, quisque in aliis virtutibus, fidei praxim pro suo capiti philosophando invenire poterit, & exercere, elevata fidei face, quid de cujusque virtutis necessitate, utilitate, dignitate, modo, & praxi, sacra Scriptura censeat, diligenter investigando.

Magni quoque momenti erit animæ suæ necessitates funditus perquirari, & congruas infirmitatibus, & vulneribus medicinas, & emplastra à verbo DEI mutuari, quod si facere non valeat, aut non possit, Confessarii aut alicujus docti viri labore adjuvari curet, ut magnus ille Pater & rerum spiritualium peritissimus magister, Ioannes Avila Cap. 45. tract. Super Audi filia, docet: roga, inquit, eum, qui animæ tuæ habebit curam, ut in Scriptura sacra, Sanctorumque doctrina, inquirat tibi verba necessitatibus animæ tuæ appropriata, ut te adversus tentatoris insidias exemplo Domini, post jejuniū in deserto contra diabolum dimicantis, defendas, aut ut debite te erga Deum geras, aut erga te ipsum aut proximum, superiorem, inferiorem, vel æqualem, sive in prosperitate, sive tribulatione, ut possis dicere: *In corde meo abscondi eloquia tua, ut non peccem tibi: lucerna pedibus meis verbum tuum, & lumen semitæ meæ.*

Cave tamen, ne in nimiam curiositatem incidas, plura aut altius sapiendi desiderio, quam salutis tuæ, aut eorum, qui tuæ curæ subditi sunt, conveniat: sublimiora etenim iis relinquere debes, quia ad eruditionem populi à DEO super candelabrum Ecclesiæ positi sunt, ut secundum S. Pauli consilium, sapias ad sobrietatem. Huculque supradicti Authoris est sententia.

C A P V T XXII.

Fidei exercitium efficacissimum esse remedium adversus quasunque inimici tentationes.

Iustus, ut inquit Propheta Abacuc, in fide sua vivit. Porro non solum fides Christiano vitam tribuit, quia eum quasi alimentum sustentat, sed

insuper quia adversus omnes insultus, aggressiones, & proelia inimicorum defendit: fides enim Dei arma & virebunt Dei, arma sunt offensiva & defensiva, præbet quasi cataphractus miles, adversario congregator, & victoriam ab hoste reportans, gloriose triumphat. Immo & ipse adversarius noster diabolus, eotantum probatissimo scuto seipsum tuerit.

De utroque genere armorum tam offensivo, quam defensivo, quo te miles Christianus ad spirituale bellum istud instruere, & armare debet, atque imprimis de offensivis loquitur Sponsa in Canticis, ubi laudans sexaginta fortes ambientes lectulum Salomonis inquit, *omnes tenentes gladios, & ad bella doctissimi*, gladiis his S. Greg. Lib. 19. mor. cap. 29. intelligit Scripturæ sacre veritates, & ut idem S. Doctor nota: non dicit Scripturæ *Omnes habentes*, sed *tenentes gladios*, quia videlicet verbum Dei non est mirabile solummodo scire sed facere: habet quippe, sed non tenet gladium, qui divinum quidem eloquium novit, sed secundum illud vivere negligit; & doctus esse ad bella jam non valet, qui spirituale quem habet gladium minimè exercet; nam resistere tentationibus non sufficit, significans his verbis fidem, nisi vivax & incensa sit parum ad spirituales pugnam adjuvare: sed sicut gladium in vagina, aut medicinam in pharmacopæo, nisi ad usum extrahatur, inutilem esse.

Ad hunc fidei gladium in manibus sumendum clarè nos adhortatur S. Paulus. *galeam, inquit, salutis assumite, & gladium spiritus, quod est verbum Dei, de cois efficacia alio loco inquit, vivo equo est sermo DEI & efficax, & penetrabilior omni gladio acutius: & perit gens usque ad divisionem: anima & spiritus, compagum quoque ac medullarum, & discors cogitationum, & intentionum cordum.*

Quare fides dicatur scutum.

S. 1.

Aрма defensiva, quibus adversus fortis armati insultus defendimur, ipsa similiter præbet fidei officina. Hinc Scriptura divina monet nos fidei scutum amplecti, quia viva fide muniti victores in tentationibus omnibus evadimus: & ideo appellatur *scutum fidei*, quia scuto in pugna omnia corporis membra protegentur, & in illo cunctas hostium nostrarum sagittas excipimus, sicque videre est in Proverbis, Spiritum sanctum verbum Dei nomine scuti, appellatam. *Omni sermo Dei*, inquit Proverb. 3. *Clypeus est omnibus sperantibus in eum.* S. Paulus etiam eodem nomine illud compellat, dum ait ad Ephes. 6. *in omnibus sumentes scutum fidei*, &c. liquidem verbum Dei omnibus ipsi fidentibus, est tanquam pelta quædam ænea, clypeusque fortissimus, quo cor ipsum contegitur, & totus denique homo ab hostium jaculis toratur: ubi annotandum est, singulari laudi verbo Dei vertendum esse, quod à Spiritu sancto *clypeus* vocetur: idem enim est, ac si diceret, ipsum universale quoddam præsidium esse, contra omnes inimici tentationes, quemadmodum scutum est contra omnes hostium insultus. Galea, gutturale, superhumeral, manica, armilla, cural, arma defensiva sunt. Est tamen inter ipsa non medicis discrepantia, galea namque solum caput defendit, collum gutturale, pectorale pectus, superhumeral humeros, manica manus, bra-

cula